








J. 30.  
18 1/2







IOHANNES THEOPHILIP BRESNII  
M.D. C. CC. LXX. VI.  
L. M.  
EPITAPHIA  
MELIORIBUS PETREACTIS  
MONTIS CARMELI  
VILLO CRIDITIS  
ALBERTUS M. V. X. B. M.  
DOMINUM  
D. IOHANNES THEOPHILIP BRESNII  
EPITAPHIA  
MELIORIBUS PETREACTIS  
MONTIS CARMELI  
VILLO CRIDITIS  
ALBERTUS M. V. X. B. M.  
DOMINUM  
D. IOHANNES THEOPHILIP BRESNII  
EPITAPHIA  
MELIORIBUS PETREACTIS  
MONTIS CARMELI  
VILLO CRIDITIS  
ALBERTUS M. V. X. B. M.  
DOMINUM  
D. IOHANNES THEOPHILIP BRESNII  
EPITAPHIA  
MELIORIBUS PETREACTIS  
MONTIS CARMELI  
VILLO CRIDITIS  
ALBERTUS M. V. X. B. M.  
DOMINUM





1  
JOHANNIS PHILIPPI BREYNIJ,  
M. D. ACAD. IMPERIALIS NAT. CURIOS.  
ET REG. SOCIET. ANGLICAN. SODALIS

# EPISTOLA

DE

MELONIBUS PETREFACTIS  
MONTIS CARMEL  
VULGO CREDITIS,

AD

*ILLUSTREM VIRUM*  
DOMINUM,

D. JOHANNEM ANDERSON,

J. U. D. INCLYTÆ HAMBURGENSEIUM  
REIPUBL. SYNDICUM PRIMARIUM, &c.

*CUI ANNEXÆ*

BINÆ EPISTOLÆ AD AUTHOREM

DATE,

*ALTERA*

DE AQUIS MARTIALIBUS OLONICENSIBUS,

*ALTERA*

DE PSEUDO-SUCCINO,

QUOD PAUCOS ANTE ANNOS EX AFRICA  
IN BELGIUM DEFERRI COEPIT.

---

*LIPSIÆ,*

LITERIS IMMANUELIS TITII,

M DCC XXII.

JOHANNIS PHILIPPI BRESYII  
M. D. CC. AD. IMPERIALE NAT. CURIO  
ET REG. SOCIET. ANGLICAN. SOCIUS  
EPISTOLA

MELONIBUS DETRACTIS  
D. JOHANNIS ANDERSON  
D. JOHANNIS ANDERSON

UNIVERS.  
ZVHALLE

AD ALTHORREM  
DE TSUBO-SUCCINO  
QUOD PABUS ANTE ANNOSES AFRICA  
LITERIS IMMANUELIS TITII





*ILLUSTRI VIRO,*  
**D. JOHANNI ANDERSON,**

J. U. D.

REIPUBL. HAMBURGENSIS SYNDICO  
PRIMARIO, &c.

*MECÆNATI SUO,*

JOHANNES PHILIPPUS BREYNIUS, M. D.

S.



Extus jam volvitur annus, ex quo  
MECÆNAS OPTIME, Literis,  
Lutetia Parisiorum, ubi tunc pro  
Publico non minus, quam Lite-  
rario debebas Bono, singularem  
humanitatem æque ac amorem  
in Historiæ Naturalis studium, ejusque Cultores  
Patrocinium spirantibus, ultro mihi literarum ape-

A 2

ruisti

ruiſti commercium. Fateor nihil fere mihi potuiſſe contingere jucundius; quare ambabus, quod ajunt, ulnis occaſionem hanc amplexus, Amicitiam Tuam auro mihi cariorem mutuis pro modulo officiis fovi & ad cineres uſque fovere conſtitui. Tantum enim literæ Tuæ mihi excitarunt Tui deſiderium & vix effabilem æſtimationem, ut me, jam campum laudes Tuas prædicandi naſtum, vix continere poſſim, quin literas hæſce optime meritis repleam encomiis. Sed ſingularem Tuam, qua emines, modeſtiam offendere vereor; quare ut nihil de meritis Tuis, **ILLUSTRIS PATRONE**, in Rempubl. aptiori calamo delineandis, nunc dicam, pauca mihi faltem facere liceat verba de inſigni amore Tuo in literarum ſtudia; & imprimis in illud, quod Hiſtoriæ jucundiffimam & utiliſſimam partem Naturalem ſcilicet, ne dicam cujuſcunque ordinis hominibus ſcitu neceſſariam rimatur. Huic namque Curis Politicis quamvis ad naufeam onuſtus, ſæpius, animi recreandi gratia, ſummo ardore incumbis; Reſque Naturales, imprimis ad Foſſile Regnum pertinentes, ex omni Terræ angulo, variis egregiis Viris, qui favorem &

Amici-

Amicitiam Tuam certatim ambiunt, adjutus, in amplissimum Museum Tuum confers. Nec Tibi, ipsummet easdem possedisse, sufficit, sed partem earum Amicis iterum & Alumnis summa liberalitate imperitis. Quod ipse sane fatis superque expertus vel publice testari possum; dum Museolum meum egregiis Gallicanorum Fossilium & nuperrime etiam Hassiacorum Collectionibus ditare non minus, quam ornare dignatus es. Pro qua summa Humanitate me Tibi summopere devinctum publice fateri necesse duco; quemadmodum & pro prolixis, quas aliquoties, invitis etiam publicis negotiis, de Re Literaria & Naturali summa *ἀνεπίετα* tractantes, unde tanquam bellaria eas semper habui Atticis præferenda, ad me dedisti, literis; quarum an humanitatem suavitatemque eruditioni, an hanc illis præferrem, semper hæsi dubius. Cum autem inter alia etiam aliquando decantatorum Melonum, vel Citrullorum Montis Carmel mentionem injiceret, eorumque duo adderes specimen ex ipso monte Carmel Tibi transmissa, ego mox candide, ut soleo, mentem meam de iis Tibi aperui, eosque non vegetabiles foetus petrefactos, sed

A 3

Lapi-



Lapides naturales sui generis esse dixi. Tu, VIR ILLUSTRIS, Te contrariam fovere sententiam mihi mox respondisti, rogans ut aliquando publice mentem meam super hanc materiam fusius explicarem: ut veritas, quam ambo unice quærebamus, eluceret; quod ut eo melius præstare possẽm, aliquot horum Melonum delineationes vivis coloribus à perito artifice accuratè ad archetypa, quæ possides, expressas exhibuisti. Ego me Tibi obtemperaturum promisi; sed quod doleo variis negotiis impeditus, ad hunc usque diem vel invitus promissis stare distuli, quod autem ulterius differre piaculum duco, quare sine pluribus me verborum ambagibus ad rem ipsam accingo.

Claros inter in Sacro Codice Montes non ultimus est Carmel dictus. Situs erat in Tribu Filiorum Affer, non procul a Mari (a) Mediterraneo, altitudine, (b) fertilitate & amœnitate (c) (unde sæpius a Prophetis Carmel pro agro fertili & amœno usurpatur,) imprimis miraculoso Magni Eliæ Prophetæ Sacrificio

(a) Josuæ Cap. XIX, 26. It. Jerem. C. XLVI, 18.

(b) Amos C. IX, 3. (c) Esaiæ C. XXXV, 2.

crificio (d) ut postmodum Elisæ habitatione (e) celebris. Distinguendus ab alio Monte ejusdem Nominis in Tribu Judæ sito. (f) Secundum hodiernos mons Carmel f. Carmelus, (vel Charmel, hodie Arabibus Cirmel f. Kerme f. Karmain, præfixo vocabulo Gebel, quod montem denotat) salutatur, (Kerme vero vitem, vel vineam significat, Karmain duas vineas) situs est in Syria non procul a Mari Mediterraneo & urbe Acra, Ptolemais olim dicta, per aliquot, ut tradunt, milliaria Gallica multis jugis juxta litus maris in modum Promontorii se extendens. A pristina sua fertilitate immane quantum mutatus, ita ut saxosus nunc sit, paucis sylvestribus arboribus, vel dumetis, variisque feris præditus. (g) Paret hic Mons Principi Arabi Emir Tarabeo dicto, teste *von Troilo*. (h)

Monachi, qui Discalceati Montis Carmel salutantur, huic monti & nomen & originem debent, cum Eliam Patronum Ordinis sui colant, eumque prima ejus fundamenta jecisse septem Summitum Pont-

(d) 1. Reg. C. XVIII.

(e) 2. Reg. C. IV, 25.

(f) 1. Samuel. C. XXV, 2.

(g) Vid. Ol. Dapperi Descript. Syriæ p. 75.

(h) Orientalische Reise-Beschr. p. 67.

Pontificum testimoniis confirmati, temere statuant. Hi monasterium hodiernum in monte possident faxo fere totum insculptum. Vide *Ol. Dapperum loc. cit.* qui varia de hoc monte, ejusque specubus, quorum magno numero scatet, ex variis Authoribus notatu digna refert, quæ autem, utpote parum ad scopum nostrum facientia, lubens transeo.

Sed prætereundus nobis non est locus in hoc Monte, qui *Campus Melonum* salutatur, (i) a *Melonibus petrefactis*, qui copiose ibidem, (quamvis hodie testibus literis ab Amico quodam ex urbe Acra ad Te datis, rarissime) reperiebantur, quos miraculo Prophetæ Eliæ Melonem rogantis ab hortulano ejusdem loci, qui non Melones, sed lapides esse, quos habebat, Prophetæ frivole responderat, in genuinos lapides hodiernum adhuc superstites mutatos, tradunt. Eandem Cantilenam inter alios canunt *Thevenottus*, (k) qui se ejusmodi Melonem petrefactum a Monachis ejus loci dono accepisse quoque gloriatur; item *von Troilo*, (l) cujus ipsissima verba mihi hic apponere liceat:

(i) Teste Doubdam, apud Olaum Dapperum l. c. p. 78.

(k) Itinerar, L. 2. p. 303. (l) l. c. p. 68. seq.



liceat: Hier muß ich auch anführen, was mir denck-  
würdiges damahlen von dem Propheten Elia ist erz-  
zehlet worden: daß, als er einesmahls auf dem Ber-  
ge (loquitur de Monte Carmel) hin und her gegan-  
gen sey, habe er in einem Garten etliche schöne Me-  
lonen liegen sehen, und weil sie ihm eine Lust und Ap-  
petit gemacht, hab er den Gärtner angesprochen, er  
soll ihm eine davon verchren; Darauf der Gärt-  
ner ihme verlachet und ausgespottet, und gesagt, er se-  
he nicht recht, und kennete es nicht, was es wären,  
er vermennte wohl, es wären Melonen, es wären,  
aber nur solche grosse gefärbte und natürliche Stei-  
ne. En so mögen es Steine seyn! antwortete der  
fromme Mann, sollen also von Stund an alle grosse,  
mittlere und kleine Melonen desselben Gartens in lau-  
ter Steine verwandelt worden seyn. Der Gärtner,  
als er dieses gesehen, habe sich hefftig darüber erzür-  
net, und aus Grimm alle die in Stein verwandelte  
Früchte über den Berg herunter geworffen, und die-  
ses wären dieselben Steine, deren noch etliche heuti-  
ges Tages daselbst gefunden werden. Die Schale

B

oder

„oder grüne Kürbis, inwendig haben sie wie andere  
 „rechte Melonen ihre Körner, welche auch steinern  
 „sind, glänzen aber wie die schönsten Diamanten;  
 „als ich dar gewesen, wurde mir eine von den Carme-  
 „litaner-Mönchen verehret, war aber in zwey Stücke  
 „gespalten, sonst über die maßen schön und mit höch-  
 „ster Verwunderung anzusehen.

*Cornelius de Bruyn* (m) horum petrefactorum  
 Melonum quoque, sed omiffa fabulosa petrefactionis  
 origine, injicit mentionem, quorum aliquot ipsi in  
 Monte Carmel traditos fuisse testatur, eorumque pri-  
 mus, quod sciam, tam integri, quam diffracti exhibet  
 icones; insuper addit: *hi Melones lapidei externe, ea-*  
*dem figura ac veri pradi sunt, quidam spherica, alii*  
*oblonga, eadem quoque ac veri gaudent magnitudine,*  
*cortexque ejusdem fere crassitie. Diffracti cavitates*  
*ostendunt instar verorum fructuum, odorem etiam ali-*  
*qualem non ingratum spirantes. Praterea refert, se*  
*una cum melonibus etiam olivas accepisse lapideas,*  
*quas addita figura illustrat. Sed quis non istas oli-*  
*vas meros esse Lapidés Judaicos, vel in Lapidum fi-*  
 gura-

(m) Reyfen door klein Asia p. 306.

guratorum Historia mediocriter versatus facile videt. Supra citatis cautius agit *Monconysius* (n) de Monte Carmel verba faciens, ubi ait: *Après la Messe le,, Frere Abdella me donna une de ces pierres, qu'on,, nomme Melons, dans les quelles il se trouve des fort,, belles choses, comme crystaux congelés. ,,*

Cum vero tot itinerariæ relationes horum Melonum speciosam adeo faciunt mentionem, miror sane de iisdem apud omnes Lithologos Museorumque Scriptores altum reperiri silentium; quare ut pateat, quid de his *Melonibus*, s. ut alii volunt, *Citrullis* (Germanice *Wasser-Melonen*) *petrefactis Montis Carmel* sit sentiendum, eorum paucis descriptionem, cum a nemine hæcenus satis accuratè tradita sit, hic præmittendam duxi, ex binis speciminibus & aliquot figuris Tua, ILLUSTRIS ANDERSONI, Munificentiæ mihi transmissis, concinnatam.

Sunt nimirum Lapides conglobati, nunc Sphæroidei, nunc ferme Sphœrici variæ magnitudinis, ab ovi Gallinacei enim ad mediocris Melonis, imo majoris, ut ex partibus eorum, quas depictas mihi trans-

B 2

misisti,

(n) Dans le Journal de Voyages p. 329.

missi, concludi potest, ascendunt dimensionem, immerfi saxo arenario satis duro, dilute cinerei coloris, a quo liberati superficie gaudent æquali non nihil scabra, coloris grisei, sæpius ferruginei dilutioris. Diffracti in meditullio cavitem fovent irregularem plerumque, nunc majorem, nunc minorem, Lapidis magnitudini ut plurimum proportionatam, minutis crystallinis concretionibus, diaphanis & splendentibus, cuspidibus sæpius hexangulis, versus globi centrum directis, undique vestitam, sive ut me melius explicem: ipsa lapidis substantia, quæ marmorea est, polituram admittens, flavescens coloris instar Marmoris fere Florentini, dimidium pollicem, subinde integrum, pro magnitudine speciminis crassa, quamvis etiam in eodem specimine non ubique æqualis, cujus margo circumcirca ad dimidii straminis crassitiem, dilutiore colore se a reliqua substantia distinguit, & quasi corticem mentitur, in interna cavitate circumcirca in Crystallos efflorescit.

Antequam vero demonstrarem, quid re vera sint hæc, de quibus ago, fossilia corpora, operæ pretium erit, ut prius diluam fabulam supra narratam, & probem,

bem, ea non esse Melones vel Citrullos petrefactos.  
Hoc autem evidens fit:

I. Ex non superficialia, sed diligenti horum Corporum cum veris Melonibus & Citrullis, tam quoad externam, quam internam figuram collatione, ubi apparebit:

Primo superficie gaudere semper æquali, nunquam sulcata, qualis sæpius in Melonibus & Citrullis esse solet. Secundo nunquam pediculi, cui necessario, si unquam Melones vel Citrulli fuissent, debuissent adhæsisse, vel levissimum adeste vestigium; Tertio nullas in cavitate apparere divisiones ordinatas, multo minus semina, prout in veris fructibus reperiuntur; quæ enim à quibusdam pro seminibus petrefactis venditantur, re vera non semina, neque ullo modo Melonum Citrullorumve seminibus similia, sed meras esse crySTALLIFICATIONES, vel nudo oculo patet.

II. Ex petrefactorum natura quoque demonstrari potest, nec Melones, nec Citrullos naturaliter in lapides mutari posse, quia nimis succulenti, & putredini summopere obnoxii sunt; quæcunque enim hæcenus, vel ipse in museolo possideo, vel in aliis

museis, quæ bene multa vidi, in variis regionibus petrefacta, vel ex eorum genere fuerunt, quæ natura sua proxime ad lapideam accedunt: ut corpora corallina, testacea, crustacea, ossæa, &c. vel substantiæ nonnihil siccæ & putrefactioni non adeo facile subiecta: ut ligna & plantæ epiphyllosphermæ &c: Si quis mihi objiciat, tamen subinde apud Authores fructuum horæorum petrefactorum reperiri mentionem; imo in museo metallico Ulyssis Aldroandi. (o) Cucurbitæ, Melopeponitarum & Persicitæ reperiri Icones & descriptiones; huic respondeo, illos Authores externa quadam specie fuisse seductos; nec dubito, si rite examinentur isti lapides, eos fructus ejusmodi nunquam fuisse, sed meros lapides figuram suam aliis causis accidentalibus debentes, facile demonstrari posse, cum nec in ipso Aldroandino Museo supra citato Ambrosinus eos pro fructibus petrefactis sed Lapidibus Fructuum figuras referentibus venditet.

Nec firmiori stat talo objectio a Miraculo, quod Monachi, ut supra dictum, crepant, desumta. Nam  
 ejus-

(o) p. 504. & seq.



ejusmodi miracula simpliciter nego, affirmanti vero incumbit probatio; Nec in Historia Sacra, ullum, præter unicum Uxoris Lothi in salis statuam, quod alii faxum interpretantur, ejusmodi miraculosæ metamorphoseos exemplum occurrere memini.

Ego vero *Melones* hosce falso dictos *petrefactos* pro *meris Lapidibus naturaliter concretis* habeo, & quidem ex eorum genere, qui certa quadam figura præditi sunt; speciatim scilicet pro *Matricibus Marmoreis, globosis Crystallorum* s. *crystallinis concretionibus gravidis*, quales etiam subinde in aliis regionibus reperiuntur. *Ferrando Imperato* (p) vocatur *Ventre Crystallino* i. e. *Uterus Crystallinus*, ab aliis *Ætites Enydros* dictus, quasi *Aquilinus humore gravidus*, a quo *condensentur ingeminationes*. Conferatur & *Wormii Museum* (q) ubi ex *Feroënsibus Insulis* hujus species describitur nomine *Matris Crystalli, & Calceolarianum*, (r) ut & *Mylii Saxonia subterranea*. (s) *Schiitteo* in *ἘγυρτογέαΦία Jenensi* (t) nomine *Ætitarum cum Lapillis Crystalli instar splendentibus* & *interiori*

(p) Hist. Nat. L. 24. C. 19. (q) p. 101.

(r) Mus. p. 222. (s) P. I. p. 37. (t) p. 64.



*teriori cortici adnatis in agro Jenensi* repertarum veniunt. Videatur & *Agricola de Natura fossilium.* (u) Cum autem hæ Matrices ratione locorum natalium, substantia, figura, colore &c. differant; hæ quoque, quantum ego novi Carmelo Monti, non Eliæ, sed naturæ miraculo videntur propriæ; quamvis & alibi similes reperiri posse non inficias eam. Interim, ut ab aliis hujus generis speciebus in Curiosorum Museis distingui possint, nomine *Matricis Marmorea, globosa, Crystallorum, Montis Carmel* insignire placuit.

Fabulæ supra memoratæ ansam procul dubio dedit superstitio & miracula pro lubitu fingendi prurigo, quibus vulgo ad superstitionem proclivi facile imponere suamque hinc implere crumenam egregie norunt Monachi. Similium fabularum exempla, antequam huic Epistolæ colophonem imponam, ob materiæ affinitatem, nonnulla hic subjungere mihi liceat. Cujus generis est, quam *Petrus Bellonius* (w) de *Ciceribus petrefactis* refert sequentem in modum:

„*Postridie sumto prandio in Monasterio Franciscanorum, ad Bethlehemiticum iter, quod binorum duntaxat*

(u) L. 5. C. 17.

(w) Observat. L. 2. C. 87.



*taxat est milliarium, nos comparavimus. Emenso,,  
dimidio miliari, vastam Terebinthum invenimus,,  
sub qua diva Virgo quiescere solebat, cum ex Bethle-,,  
hem Hierosolymam proficisceretur, juxta quendam,,  
agrum, lapillis quibusdam rotundis obsitum, magni-,,  
tudine & forma Ciceris. Vulgi opinio est, Divam,,  
Virginem, dum hac iter faceret, quendam conspexif-,,  
se, qui Cicer sereret, eumque interrogatum, quidnam,,  
ageret, respondisse: lapillos sero: ab eo tempore solum,,  
petrosum remansisse, tanquam Cicer in lapillos fuis-,,  
set transmutatum.,,*

*Rauwolvius, qui anno Christi 1573. iter suum  
Orientale aggressus est, eam (x) mutatis quibusdam  
circumstantiis sequenti modo narrat: Ferner zu,,  
halbem Weg, kommet man auf einen Berg, auf,,  
welchem zu oberst beyde Städt zu gleich, Jerusalem,,  
und Bethlehem zu sehen. Darfür hinein ein wei-,,  
tes Thal, daß wohl schrofig, aber an Wein und Korn,,  
ziemlich fruchtbar. In dem ein Acker zur rechten an,,  
der Strassen, der Ciceren-Acker genennt, welcher da-,,  
her, wie ich berichtet worden, den Nahmen bekommen.,,  
Man sagt, es hab sich auf eine Zeit begeben, als der,,*

(x) Vid. Itinerarium p. 449.

„ Herr Christus da fürüber gegangen, und einen  
 „ Mann ersehen, der Ciceren Erbis gesäet, hab unser  
 „ lieber Herr Christus ihn freundlich angesprochen und  
 „ gefragt, was er da säe, darauf der Mann spöttlich  
 „ geantwortet, und gesagt habe, er säe Steinlein. Also  
 „ habe ihm der Herr wieder zur Antwort gegeben, so  
 „ geschehe, daß du des Saamens einsammelst, wie du ge-  
 „ saget hast. Also soll er zu Herbst-Zeiten in diesem  
 „ Acker für die rechter Cicer Erbis, lauter Steinlein  
 „ gleicher Größe und Form gefunden haben. Dem sey  
 „ nun, wie ihm wolle, so muß ich gleichwohl bekennen,  
 „ daß sie noch heutiges Tages in dem Acker zu finden.  
 „ Dann im Fürüberziehen unser etlich darein gegangen,  
 „ und deren nicht wenig darin gesammelt haben, welche  
 „ in der Größe, Farb, ja allem den gelben Ciserbis (von  
 „ Arabern Ommos, den Latinis Cicer arietinum ge-  
 „ nannt,) so gleichförmig, daß sie von rechten natürli-  
 „ chen nicht bald zu unterscheiden.

„ Monconysius (y) vero ita tradit: *Vis à vis à*  
 „ *main gauche est un champ, ou l'on dit, que la Vierge*  
 „ *passant par là, trouva des paisans, qui semoient des*  
 „ *pois, elle les pria de luy en donner, ils luy dirent, que*

(y) l.c. p. 313.

*c'etoit*

c'étoit des pierres, à quoy elle repartit, qu'ils en recue-  
illiroient, & depuis, il n'y peut rien croître, que des  
pierres, les quelles ont la figure des pois.,

Ego ejusmodi Lapillos ex Gazophylacio *Jacobi Golii*, nomine *Pisorum Lapideorum Bethlehemiticorum* possideo, & unum vel alterum naturali dimensione delineandum curavi. Vid. Tab. I. Fig. 5. Sunt nimirum lapilli nunc figuræ ferme Sphæricæ, nunc Sphæroideæ, sæpius irregularis, magnitudine a Viciæ feminis, ad Ciceris accedente superficie non nihil scabra, colore interne & externe albo flavescente, substantia ad calcarium lapidem accedere videntur, intus solidi & diffracti nulla lamellarum vestigia habentes. Hi prima facie Ciceres albos satis bene referunt, imprimis si ab homine rudi conspiciantur, unde & fabulæ, superstitione accedente, origo; sed accurate examinati, figura a Ciceribus multum differre, facile apparet; nec dubito eos ex eorum genere esse, qui ante aliquot annos prope Zuichau reperti sunt lapilli soluti partim in terræ superficie, partim saxo ceu Matrîci suæ adhuc inhærentes, amygdalas, Phaseolos, pisa aliave femina aliquo modo referentes a *Cl. My-*

lio (z) nomine Mandel- und Bohnen-Steine descriptæ & delineatæ.

Quid de *Viperis Melitensibus*, Apostoli Pauli in Melita Insula, quæ nunc Maltha dicitur, naufragium patientis, & a Vipera, ut Sacræ Literæ (a) testantur, demorsi, miraculo, (ut tradunt) quo omnes ejusdem Insulæ vyperas in lapides transmutavit hodiernum superstites, *petrefactis* sentiendum sit, alibi dixi: (b) nimirum eas esse, Tubulariæ s. Vermiculariæ cujusdam Marinae Majoris in Melitensi terra sepultæ specimina, quod inter alios *Augustinus Scilla* in eleganti tractatu, cui titulum fecit: *la Vana Speculatione disingannata dal senso*) omnium optime demonstravit.

Idem judicium sit de *Glossopetris Melitensibus*, quas *linguas Viperarum* vulgus dicit *petrefactas*. Quod plane absurdum esse facile liquet, si cogitemus, nullam plane has inter Glossopetras & linguas Viperarum esse similitudinem. Glossopetras vero Canis Carchariæ & Stampellæ Italis dictæ aliorumque piscium esse dentes, terra obrutos & lapidefactos post  
*Fabium*

(z) In Saxon. Subterr. Part. I. relat. 5. (a) Act. C. XXVIII. v. 3. seq.

(b) Ephemerid. Nat. Curios. Cent. 7. Obs. 1.

*Fabium Columnam & Nicolaum Stenonem* adeo confirmavit ejusdem *Augustini Scilla* diligentia, qui easdem, cum variæ figuræ reperiantur, præter Canem Carcharian, quoque ex piscibus *Canicola & Vacca* Italis dictis deduxit, ut jam fungum pro cerebro habere oporteat illum, qui de veritate hujus asserti dubitet.

*Oculi Serpentum Melitenses* vulgo dicti ejusdem quoque sunt originis, nimirum dentes molares piscium, *Sarco, Orata & Dentato A. Scyllæ* dictorum terra sepulti & petrefacti, quod pariter egregie demonstravit sæpius laudatus *A. Scylla*, ego quoque in Museo meo ex collatione horum lapillorum, cum mandibula ejusmodi piscis dentibus referta naturali, ad oculum demonstrare valeo.

Restant adhuc *Numismales Lapidés Transylvanica*, de quibus *Carolus Clusius* (c) sequentem speciosam refert historiam: *S. Ladislaum Regem ferunt,, primum tota Ungaria a Tartaris pulsum in Daciam,, sive Transylvaniam profugisse in urbem Claudiopolim,, sive Coloswar: istic cum opulento & pradiuite quo-*

C 3 dam

(c) In Nomenclatore Plantarum Panonicarum.



„dam Lanio amicitiam & familiaritatem contraxisse,  
„cujus factus sit compater. Hujus auxilio, qui illi ex-  
„pensas persolvit, Tartaros denuo adgressus, eis totam  
„Ungariam ademit. In hac Tartarorum fuga, cum  
„nummos aureos, quos ex praeda collegerant, Aradiensis  
„campo abjicerent, ut insequentes Ungaros remoraren-  
„tur, precibus a DEO contendit, ut aurum in lapides  
„converteret: Votum eventus secutus est. Inde fa-  
„ctum putant, ut Aradiensis ille campus planis lapillis  
„abundet, qui aliquando aurei nummi fuerint. Sed  
„cum hi lapides cum Nummis Aureis, præter figuram  
„circularem nihil habeant commune, cum potius figura  
lentium instar utrinque convexa, & curiosa sibi que  
propria structura, quam primus summa diligentia &  
*angl. Scia* detexit Celeberrimus & in inquirenda historia  
Naturali nunquam defatigabilis Vir *Johannes Jacobus*  
*Scheuchzerus*, (d) Amicus inter primos mihi semper  
colendus, plane differant, fabula hæc sponte concidit.  
Interim non adeo facile dictu est, ad quodnam  
Fossilium, vel Petrefactorum genus hæc fossilia sint  
referen-

(d) In Specimin. Lithogr. Helvet. p. 31. & seq. It. in Oryctograph. Helvet.  
p. 326. & seq.

referenda, vel cui Regno Naturæ suam debeant originem; cum ego opinioni supra laudati *Schenchzeri* (e) qui ea animalium marinorum petrefactorum Classi inferere velle videtur, varias ob rationes hæcenus subscribere haud potui. Sed de hoc Fossilium genere, quod Lithographis Lentium Lapideorum nomine venit, (f) cujus varias species ipse in Museo meo ex variis Regionibus, quin etiam ex Gallia, Tua, ILLUSTRIS PATRONE, Munificentia possideo, forte alia occasione plura.

Hæc sunt VIR AMPLISSIME, quæ Tecum de præsentī Themate communicanda habui, quæ omnia, quousque Veritati respondeant perspicaci Tuo Judicio dijudicanda relinquo. Vale, MUSARUM OCELLE, in Reipublicæ & Literariæ Ornamentum quam rectissime & diutissime, meque porro, ut cœpisti, amare desine nunquam. Dabam Gedani, ex Museo, postridie Calendarum Decembris Anni 1721.

(e) Oryctograph. Helvet. p. 327.

(f) Vid. Schenchzerus l. c. & in Museo Diluviano.

EXPLI-

*EXPLICATIO FIGURARUM.*

TABULA I. Exhibet binas Matrices Cryfallorum Montis Carmel, f. Melones petrefactos vulgo dictos, à Saxo arenario, cui immerſa fuerant, liberatas, ea dimenſione, qua ex liberalitate Illuſtris Anderſonii in Muſeo meo ſervantur; & quidem Fig. 1. & 2. minorem figuræ oblongæ, per medium diviſam, ita ut Fig. 1. partem ejus convexam ſ. externam, Fig. 2. verò internam, in qua lit. A. concavitatem inæqualem minimis Cryſtallis obſitam, b. b. ſubſtantiam internam lapidis marmoream, c. c. vero quaſi corticem, colore nonnihil à ſubſtantia altera diſtinctum re præſentant. Fig. 3. & 4. oſtendunt partem alicujus Majoris, cujus externam ſ. convexam figuram Fig. 3. in qua lit. a. denotat partem ſaxi arenarii firmiter adhuc adhærentem; Fig. 4. internam ſ. concavam Cryſtallulis denſiſſime obſitam. Fig. 5. Lapides figura Cicerum ex Agro Bethlehemitico.

TABULA II. Offert Saxum, cui duæ ejuſmodi Matrices Cryſtallorum ſ. Melones petrefacti, immerſa ſunt, & quidem ita diffracta, ut interna ſtructura appareat; ex Muſeo Anderſoniano.

Nota Cryſtallulos harum cavitates inveſtientes, non uti illas Tabulæ prioris cuſpidatas, ſed obtuſiores eſſe, ut me ſæpius laudatus D. Anderſon per literas certiore fecit.

GEORGII



Fig. 2.



Fig. 4.



Fig. 1.



Fig. 3.



Fig. 5.





TAB. II.



GEORGII RENUUS  
M.D.  
DE  
AQUIS MARTIALIBUS

OF ONCENSIS

LIBRUM

D. JOHANNES



GEORGII REMUS,  
M. D.  
DE  
AQUIS MARTIALIBUS  
OLONICENSIBUS,  
EPISTOLA  
AD  
*VIRUM EXCELLENTISSIMUM  
ET EXPERIENTISSIMUM,*  
D. JOHANNEM PHILIPPUM  
BREYNIUM,  
MED. DOCT. &c.  
*FAUTOREM ET AMICUM SUUM  
PLURIMUM COLENDUM.*



GEORGII RHEMUS

Profesor & Rector Universitatis Coloniensis

AD QUOS MARTIALIBUS

OLONIENSIBUS

EPISTOLA

A. D.

VIRUM EXCELLENTISSIMUM

ET EXPERIENTISSIMUM

D. JOHANNEM PHILIPPUM

PHILIPPUM  
in cuius notitia expecto, me ad  
hanc ad obsequium vestrum me  
facilem in eam illud deprecator  
ne Quirijus dicitur: ipse tamen se. cum in domo  
D. 2.



*Vir Excellentissime, Experientissime,  
Fautor & Amice plurimum Colende.*



Iterarum silentium rite deprecatus,  
statim ad *historiam Fontis martia-*  
*lis*, cujus notitiam expetis, me ac-  
cingo. Districtus, in quo reperi-  
untur aquæ hæ, communi nomi-  
ne *Olonicensis* dicitur: ipsæ tamen 30. citra urbem

D 2

quæ

quæ nomen districtui dat, milliaria, ad sexaginta trium fere graduum altitudinem sitæ sunt, ad eum præcipue angulum, ubi Onega lacus, antequam in majorem sinum ad Powenez se extendentem, excurrit, minorem aliquem efformasse communiter effingitur. Scaturiunt in loco montis decliviori, minera ferri, & Sale Vitriolo Martiali ditissimo; sunt limpidissimæ, nullius coloris, nullius odoris, saporis autem adstringentis leviter ferrei, & Vitriolici, quemadmodum Pymontanas, vel Spadanas potius esse ferunt. Itaque aqua hæc ex fonte hausta limpidissima si per aliquot horas nec in calido nec frigido sibi relinquatur loco, turbari incipit, mox corpusculis quibusdam flavis ad rubedinem declinantibus obfuscatur, quæ tandem junguntur, atque formâ Ochrae rubrae fundum petunt. Ut dicam, quod res est, Ochra hæc omnia salutaris hujus fontis, si forte spirituosum quid excipis, contenta complectitur. Quippe siue destillatione, siue evaporatione leniori & inspissatione si aquæ hæ tractentur, simplicem largiuntur lympham, nisi quod quæ prima prodit, subacidi quid spirituosi sentire videatur: residuum vero dat

Ochram



Ochram omnibus modis illi similem, quæ sponte ab ipsis aquis secedit. Quare quod multis egregiis experimentis tentatum, & ab Excellentiss. Archiatro Dn. D. L. Blumentrost examinatum est, unica sequenti fere perficitur encheiresi. Aquæ nimirum sumantur libræ 100, inditæ vasi terreo leni igne ebulliendo evaporent per triduum, remanebit sedimentum turbidum librarum 10. vel 12. Ochrâ sub rubrâ imprægnatum, hoc si percoletur, rursus separatim obtinebis aquam limpidissimam, saporis admodum adstringentis Vitriolici, remanente ochrâ sale suo privatâ. Quodsi jam per partes hæc examinare libuerit, aquam ad siccitatem igne evaporato, remanebit sal aliquod impurum fusci coloris, quod novâ affusâ aquâ, ut artis est defæcari, & certa encheiresi in crystallos subvirides elegantissimas efformari potest. Ochra vero fusione in genuinum convertitur ferrum, cujus quidem me præsentem ex 100. Aquarum libris drachmas duas obtinuimus, de salis vero præsentis quantitate non æquè benè constat ratio, quippe pro depurationis gradu plus vel minus obtineri solet, plerumque ad drachmas 6. colligitur. Habes Vir Excell. quæ duo

D. 3

sunt



sunt præcipua contenta, quorum ut unius nempe ferri naturam non ignoras, ita forte alterum, cujus sit genii scire gestis; cui ut satisfiat, scias sequentibus Sal hoc ab Excell. Archiatro subiectum fuisse experimentis. 1) Linguae impositum erat saporis acris, urentis, & Vitriolici. 2) cum pulvere gallarum in aqua communi Tincturam faciebat nigricantem. 3) acidis admixtum haud effervescebat. 4) etiam cum alkalicis non ebulliens 5) syrupi violarum colorem caeruleum in viridem mutabat. Ex quibus quamvis sal illud neutrius esse generis, facile constet; majoris tamen certitudinis ergo, non sine jucunditate affusione & admixtione variorum corporum, quorum indoles nota est, in harum aquarum naturam inquisitum fuit. 1) Pulveris gallarum injectione aqua hæc intra minutum in atramentum conversa est nigerrimum, idem accidit ex admixtione radicis tormentillæ & ex infuso thee ex aqua pluviali admixto. 2) Spr. Vitrioli modo dictæ Tincturæ Gallarum nigræ affusus in colorem mutavit albicantem. 3) Sp. Sal. Ammon. colorem hunc album in gryseum vertit. 4) Aquæ hujus fontis puræ admixtus Sp. Sal. Ammon. Sp. Corn. Cerv. Sal. Vol. Corn. Cerv.



Cerv. nullam ferè sensibilem produxere effervescentiam. 5) Sp. Vitr. Sp.  $\odot$ .  $\nabla$ .  $\nabla$ . - - - aquæ huic admixta amicè se illi jungunt, absque ullo sensibili alicujus effervescentiæ signo. 6) Oculis cancrorum affusa hæc aqua nullam etiam efficit commotionem. 7) Sp. Tart. admixtus huic aquæ nullam produxit quidem effervescentiam, verum aqua statim in colorem ad flavedinem vergentem fuit mutata, mox multæ particulæ oleosæ atque unctuosæ quasi inceperunt natare, quæ tandem collectæ superficiem aquæ petierunt, atque ibi massam aliquam oleosam formarunt. Ultimum hoc experimentum sulphuris præsentiam arguens sequenti occasionem dedit operationi: Quippe Unciæ tres hujus ochræ crucibulo impositæ cande-  
facto, scintillulas aliquas dedere emicantes, quæ ut sulphur adeste testabantur, ita non in magna quantitate aquis his illud inesse probant.

Ut tandem rem totam contraham, ex omnibus adductis experimentis patet: *aquam hanc mineralem esse potionem medicatam, quæ in vehiculo aquæ cursu exercitata, adeoque salubris ad libram unam continet tantillum spiritus acidi, sulphuris parum, ferri grana duo*

*duo vel tria, ℥ 4. vel 5. gr. salis Vitriolici Martialis duplicati.* Quales vero exinde in corpus humanum redundant utilitates, & quibus imprimis opitulentur morbis aquæ hæ, cum quilibet suo abundet sensu, a priori deducere cui lubet, integrum esto: nobis saltem, quid de illarum operandi modo innotuit à posteriori, paucis memorasse sufficiet. *Album servant lubricam, in nonnullis adstrictam semper tamen tingendo faeces nigerrimas: per urinam operantur multum ℥ citissimé. Vomitum raro excitant, nisi ubi vel cum sale polychresto sumuntur, vel ubi in nimia quantitate haustæ sunt. Appetitum mirum in modum excitant: & quod maxime miraberis, licet ad plurimas bibantur libras, nunquam tamen, vel morâ, vel mole suâ molesta sunt. Primis præcipue viis medicinam faciunt.* Prostant exempla eorum qui nausea & vomitu ad levissima ingesta per plurimos annos laborarunt, pariter eorum, qui diarrhœâ inveteratâ & lienteria affecti fuerant, omnes tamen in usu aquarum hujus fontis reperierunt medelam & salutem. *Obstructiones omnis generis vel tollunt, vel minuunt: hinc quod mirari satis non potest, in duobus*  
subje-

subjectis Sarcocoles insignes ab his aquis dissolutas esse audivimus: polypum cordis diminuisse observavimus ipsi in pie defuncto Ex. Weyde. Quippe cum idem antea ad syncopen usque palpitatione cordis laborasset, adeo ab usu harum aquarum levatus fuit, ut vix ullas ab illo tempore senserit notas, quamvis quod negandum non est, non ab omni polypo arteria pulmonalis post mortem reperta fuerit libera. *Pulmonum affectibus non aque amica esse videntur, imprimis phthysicis, vel ulcere pulmonum laborantibus, hecticam tamen multum ex illis sublevatam vidimus.* Plures dedit dabitque observationes rite applicatus harum aquarum usus, quarum ut hos præcursores mitto; ita illas Tibi non invidebo, simul ac sufficienti experientia confirmatas novero. Superest, ut paucis methodum illis utendi memorem. Corpore bene pillulis spadanis præparato propinatur aquæ, incipiendo a tribus vel quatuor libris, adscendendo ad 10. vel 12. continuatur in summa earum dosi per aliquot dies, & eodem gradu, quo adscensum fuerat, diminuitur. Quodsi segnius, quam par est, operentur aquæ, vel major per alvum eas edu-

ARTIAN

E

cendi

cendi fuerit ratio, singulis tribus diebus, drachmis quatuor falis Polychresti, vel falis Anglicani dosi duplâ acuari solent. Finito aquarum usu, qui raro ultra tres vel quatuor septimanas extenditur, rursus purgatur corpus, & rite præscriptis regulis diæteticis sibi vivendus dimittitur æger. Sed ohe jam satis! ne lector deficias; verbum amplius non addo, nisi quo Te mei non immemorem valere jubeo.

Dabam Petropoli d. 9.  
Mens. Julii 1720.

T. T.

G. REMUS.

NATHA-



NATHANAELIS SENDELII,  
MEDICINÆ DOCTORIS ET REIPUBLICÆ  
ELBINGENSIS PHYSICI ORDINARIJ,  
D E  
SUCCINO INDICO.  
A D  
VIRUM  
NOBILISSIMUM ATQUE EXPE-  
RIENTISSIMUM  
D O M I N U M  
JOHANNEM PHILIPPUM  
BREYNIUM,  
MEDICINÆ DOCTOREM APUD GEDANENSES  
CELEBERRIMUM, ACADEMIÆ IMPERIAL. NAT.  
CURIOS. ET SOCIET. REG. ANGL.  
MEMBRUM,  
E P I S T O L A  
PRODROMI LOCO ELECTROLOGIÆ SUÆ  
PROPEDIEM EDENDÆ SCRIPTA.



*(Faint, mostly illegible text, possibly bleed-through or mirrored writing)*







Uodsi tempus illud animo revolve  
**VIR NOBILISSIME**, ex quo in-  
 notescere mihi cœpit cum profun-  
 da Tua Eruditio, tum speciatim  
 curiosissimum cui totus incumbis  
 Rei Naturalis studium, fatis id quidem longum est ac  
 spatiosum; sin illud tantummodo cogitatione resû-  
 mo, ex quo intimius Te noscere, notusque pariter Ti-  
 bi esse cœpi, brevius illud è contrario est atque arctio-  
 ribus inclusum cancellis. Quemadmodum vero lon-  
 ga illa & generalior Tui notitia me jam ab eo tem-  
 pore obligatum Tibi tenuit, ut in decus & laudes Tuas  
 profusissime cum Erudito Orbe ferrer, qui Te Ama-  
 torem & Restauratorem Rei Naturalis nullis non en-  
 comiis ornaverat; ita arctior licet, sed familiarior  
 Tui cognitio me Tibi multum fecit devinctiorem, ca-  
 tenasque vel adamantinas (quæ tamen mihi captivi-  
 tas gratissima) amoris, amicitia ac observantia inje-  
 cit. Certe etenim non vulgaria isto temporis jucun-  
 dissimo tractu amoris Tui testimonia sumpsi: præ-  
 clara sunt illa atque ampla, ut nesciam plane  
 qua celebrem mea vota lyra? quas solvere grates  
 sufficiam? non si pariter mihi vertice læto

E 3

nectat

nectat adoratas & Smirna & Mantua laurus  
digna loquar.

Quapropter si tribus multa verba complecti licet, quæ effusissimam lætitiã, qua in hunc diem perfruor & exulto, describant, satis dictum puto, Amicum me invenisse, phœnicis instar rarissimum avem, adeoque thesaurum nullis aliis bonis comparandum, & ex cujus pretiosa possessione non possunt non omnia omnis jucunditatis genera in me quam largissime redundare. Unicam ut inter multas alias nunc laude prosequar, vel solum me omni gaudio perfundit commercium literarum Tecum initum, quod procul dubio omnes inter alios Amicitia honestissimos pariter ac jucundissimos fructus præeminet & excellit:

quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Quemadmodum enim illud vera Eruditi vita vocari meretur; sic & ego tum demum vitam agere mihi videbar, quando præsens pariter Tecum admiranda in Naturæ Regnis miracula, quæ ad amussim exhibet Musæum Tuum curiosissimum, mirari & quod ultro sequitur, stupendam Nostri SUMMI NUMINIS Potentiam ac Sapientiam admirari, absens vero etiam de iis verba Tecum commutare potui.

Novif-

Novissimum quod in hac sparta favoris Tui dedisti Symbolum est nuperrima transmissio *Succini Indici*, quod uti gratum mihi valde fuit, sic tamen multo gratius visum est postmodum, quod à me Experimenta efflagitas & Rationes, *qua in parte conveniant illa, qua discrepent cum Succino nostro Borussico*. Quo in officio mihi oblato, cum qualem qualem etiam satisfactionem Tibi non ingratham futuram præviderem, hinc avidius Voluntati Tuæ assurrexi, id tamen antea quam solennissime abs Te petens, ut dum Te Præsente judico, atque inutiliter Soli lucem, aut mari aquam addere videor, perspectam illam Tuam Humanitatem præsentem mihi sistas, quæ dicenti animum addat atque calcar, erranti vero etiam viam monstret.

Atque ut à linea incipiam, locumque natalem indagem, de illo quidem disquirere copiosius, vel venas indagare non est animus; siquidem cum ad oras Benynenses Guineæ Terræ proximas in copia colligatur, terram illam hoc bitumine foetam & gravidam, quemadmodum nostram Borussicam ultro agnoscamus oportet: quanquam nec illis contrarius fuero, qui deficiente præsertim oculari inspectione, foetum hunc magis vegetabilem atque ex arboribus provenientem seu stillantem asseverant. Perinde enim est  
 Paren-



Parentes ignorasse, modo Virtutes desideratæ respondeant spei. Satius est in conspectum producere glebam, ut quæ primo intuitu faciem offert fulgore & splendore satis superbientem, crystallique vel adamantis instar splendescentem, si vel ruditer saltem crusta eminentior illi detrahatur. Nec tamen solus hic glebæ, vel semper color est ac splendor, qui æmulus esse undulato (a) nostro Succino mihi videtur; sed invenias alias etiam glebas, quæ aut quadam aut tota sui parte nebulis conspersæ offenduntur, quas inde ad obscura & nebulosa (b) succina referre in comparatione ad nostra æque bene mihi placuit. De hinc & contenta varia & inter illa præcipue diversa animalcula tùm insectis nostris similia, tùm terræ illi propria inclusa servat peregrina gleba, quorum splendida sepulchra jucundo spectaculo visuntur, si nempe purior gleba est: Nam pari fere abundantia impuras videas, contentisque terreis plus minus mixtas, quas inde ad impurorum (c) Succinorum genera referre non erubui, inter quas quoque tales reperiuntur, quarum laminæ sibi invicem superimpositæ cernuntur ex quo æque ac de nostro succino concludas, materiam ejus antequam induruerat fuisse liqui-

(a) Vocant artifices Wasser-vel Bleich-Flahr. dam.  
 (b) Appellant iidem Bastarte. (c) Dicuntur Schließ,

dam. Tandem odorem levi manuum attrectatione & frictione spargit, salis volatilis subtilioris testem, quem accensa gleba magis magisque manifestat, quanquam is quidem ad gratiam nostrorum succinorum non accedat, sed tamen optimi mastichis odorem æmuletur, ni superet. Imo, quod mireris, (ut gemmæ cuncta attributa scias) dum polita est gleba, virtute attrahendi, qua nostræ multum prædicantur, æque est prædita.

Requisita pene multa quibus beneficiis ob æqualitatem ad nostra succina referri, laudibusque suis constare posset peregrina gleba, quas & ego eidem olim profusissime attribuere non sum dedignatus. Sed videndum & altius explorandum est, quid rigidiori examine tentata gleba possit, & quid ferre humeri ejus valeant, quid recusent. Quemadmodum vero præcipuum Succinorum requisitum est, quod illis inter lapides, & consequenter gemmas locum permittit, durities, nec ullius nisi plane vulgaris usus essent, nisi artificis manu tractari possent; hinc in hocce Indico artifex ipse posthabitis, vel in alia tempora translatis aliis circumstantiis, inquisitionem saltem agere debui, quomodo se ad hos labores artificum, in quibus certe cardo rei vertitur, & omnis prora ac puppis consistit,

F specia-



speciatim ad tractationem Cultri, Serræ, limæ, tornationis, polituræ, imo denique ignis gerat. Inclarescet ita facilius virtus ejus, nudabiturque, si quæ illi adest infamia.

Atque cultro quidem obediens est, sed plus justo. Siquidem vel unguium exploratione, quam tamen facilius uni, difficilius paulo alteri adhibeas, friabilitas ejus minusque solidior compages manifestatur. Id quod vili ejus laude quin potius magno nævo dicitur; quandoquidem vel indigena succina friabiliora minusque dura suis vituperiis non carent, resinis potius quam succinis annumeranda, quorum laus & gloria præcipua est, si quam maxime duritie aciei cultri resistunt. In peregrina certe gleba evenit, ut, dum tornationi subjicitur, cultro priori, (d) quo eminentiæ rudiores separantur, facile obediat; ast dum huic levigantem cultrum (e) addis, quo via sternitur polituræ, tum eminentiæ illæ, quæ resistere quodammodo cultro huic debebant, usque dum interjecta spatiosa levigatam cum illis faciem acquirant, non solum non obliterantur, sed potius cultro hocce lenissime licet & suspensa manu adhibito novæ crispaturæ

(d) Dicitur tecnico vocabulo ein Schräp-Messer.

(e) Hoc vero ein Schlicht-Messer.

ræ producuntur. Atque ita vel nulla politura fieri potest, ut quæ levigato corpori demum favet, vel si quam intendis, imperfectam eam acquiris spatiolis scilicet cretâ, aut terra tripoli repletis; nisi, quod remedio quodammodo est, cultro priori limam subtiliorem levi manu & extra quidem tornationis actum adhibeas, qua facilius eminentiæ illæ dictæ detergantur, ut & deinceps cultrum levigantem & polituram, sed tamen cum summa cautione adornare possis: Cujus operationis totiusque laboris testimonium esse potest globulus ille, quem non ita pridem Tuæ Excellentissimæ Nobilitati tradendum curavi. Faciliorem inde, vel me non monente, polituram conjicias, ubi absque tornatione cultrum secantem subsequitur lima, præsertim si grandiores glebas manu tractas, ubi nec rupturæ nec fracturæ ullus est metus. Sic namque acquiras licet glebam glaciei instar perspicuam fulgentemque, hac solum adhibita cautione, ne nimium strenue ducatur lima, cum crebra tractione mollior gleba fieri potest & levigatio subsequens & politura inhiberi. Qualis operatio cum non successu suo sat felici destituatur, nec leviter etiam oculos pascit splendor glebæ oculos jucunde ferientis; sic dolendum tamen valde est laborem huncce ad opera-



tiones artis æque nullo modo applicari posse. Namque si grandiores hæc egregie splendentes glebas ferræ dividere cupis, ut lamellas acquiras, quibus arculæ, specula, aut alia aliaque utensilia superinducantur, quemadmodum cum nostris succinis fieri vides, tum certe aërem verberas; quandoquidem nec ferræ motus crebra illius incalescentia continuari valent, nec etiam quies hujus aliqualis prohibere potest, quo minus, frigus pristinum licet contractâ glebâ, cum fractura lamellarum frustraneum laborem tuum impense doleas. Et si vel maxime remedium hic adhibeas, quod succinis nostris adhibetur, quando crebra perforatione & inde producta incalescentia (quâ tamen nullo modo, ut hæc peregrina mollescunt) rupturæ metum faciunt, quale inter alia est, ut aquæ frigidæ immergantur; tum hæc Indica doloroso experimento rumpi videas, quod dum perforavi, dum secui non una vice sum expertus. Adhæc levis quoque esset lamellarum harum ad applicationem artis hujus usus, siquidem in hoc Indico tanta colorum varietas, ac in nostro non reperitur, quæ vero ad commendationem illius perquam necessaria requiri videtur.

Sed ut propius ad ignem accedam & per eundem facta experimenta explorem, tempus est, nisi,  
quod





quod jam fere factum timeo, epistolæ limites trans-  
 cendere velim; Et hic quidem, num indurationem  
 aliquam in hisce peregrinis promoverem, quemad-  
 modum noveram, nostra coctione in oleo raparum  
 multum firmari, eam ipsam quoque experiri cœpi.  
 Sed vere & proprie in hoc opere oleum & operam  
 perdidisse me conspexi. Quippe vix incaluit oleum,  
 cum glebularum quasdam non solum ruptas, sed & in  
 majorem molem elatas vidi, cavitatibus quibusdam  
 internis relictis, favis apum leviter compressis non  
 dissimilibus, qualis forma & in coctione nostrorum  
 succinorum quandoque apparet, quæ inde quoque  
 teneriora & friabiliora, adeoque resinas magis fuisse  
 præsumuntur: Cæteræ, quæ restabant glebæ utut  
 minus essent ruptæ, minus tamen etiam, quantum ani-  
 madvertere potui, duriores evaserant. Nec levio-  
 rem mihi que familiariorum hujus Experimenti faciendi  
 viam neglexi, nempe ut calori candelæ ardentis subji-  
 cerem glebam, inquisiturus simul obiter, num flexuram  
 pateretur lamella, ut vel hoc in passu aptabilior ad ar-  
 tem videri possit. Sed statim illa vix vili ac modico  
 calore tentata fumum emisit, rupturasque in exteriori  
 sui parte multas, sed minores ostendit; Cæterum vero,  
 utut promte, imo promptius, ac è nostro paratæ lami-  
 næ flexori obedivit, nullo modo tamen vel hac etiam  
 probatione facta duritiem majorem acquisivit.

Quæ omnia æqua judicii lance perpendens, cum

F 3

adeo



adeo parvum & vilem succini hujus Indici, ut vocatur, usum in operationibus artificialibus viderem, sensim animum despondi, nec ultra faces adeo magnas, ut antea quidem faciebam eidem accendi. Quin potius ex operationibus experimentisque factis, Pseudosuccinum hocce resinam potius esse judicavi, cui tamen magna gummatiss portio esset adjuncta, quæ firmitati & soliditati ejus noceret magnopere, magno alioquin pretio æstimandam, si duritiem eidem vel natura dedisset, vel adhuc dum ars donare posset, ut in numerum succinorum verorum (quod tum quidem fieri posset) referri mereretur. Cui asserto comprobando cum plurima experimenta militare possent, eadem tamen aut studio hic taceo, aut quia imperfecta sunt, & me ipsum latent, non produco, eruturus forsitan eadem è tenebris cum DEO & die, ubi, iisdem faventibus, majori quiete frui licebit. Unum tamen huc faciens neque infimi subsellii nunc reticendum non est. Nempe solutionem hujus Pseudosuccini cum spiritu vini tartarifato institui, & ecce adeo promte & spatio unius horæ, forti licet digestionem solvebatur. Saturato itâ menstruo, cum illud nihil ultra solveret, absunta scilicet jam dimidia succini, vel potius resinæ parte, post decantationem liquoris in fundo mellaginem gummosam reperi, quæ manibus distrahi flectique quaqua versum poterat, nec etiam seu frigori, seu calori exposita veterem duritiem

imio

tiem (separatâ per spiritum resinofitate) acquirebat. Tanto facili pariter ac felici successu non levi gaudio exultans denuo mellaginem illam & spiritu, & aqua solvere tentavi, sed nulli horum obediuit amplius; accensa tamen, ut olim, odorem sparsit, sed magis fuliginosum minusque gradum. Quis ex hac operatione, quæ tamen altioris adhuc indaginis est, usus fluat, non est, ut multis describam, Tuo solum iudicio, VIR NOBILISSIME, relinquens vernicem ex hac solutione prodeuntem, puritate aquæ limpidissimæ nil quicquam cedentem, & forsan multis aliis laudatissimis præferendam. Quibus porro operationibus faveat experimentum hocce, inquirendum altius est. Ego infusione guttarum aliquot in aquam simplicem eam ex cœruleo lactescentem acquisivi, visu suavem, nec odore ingratam, cosmeticum forsan charius futuram sexui elegantiori, quia novum illud est, nec minus rarum. Nec despero inter cæteros usus bonos & hunc expectari à Pseudosuccino nostro posse, ut parandis vitris ustoriis, & iis quidem ob summam claritatem optimæ notæ, inferviat, qualius generis aliud aliudque parandum prope diem in me suscipiam. Cæterum utrum plures etiam in foro medico possideat dotes, uti ob odorem salis volatilis non dubitatur, ut ex eodem oleum aliquod oleo succineo nostro æmulum destillari possit, tempore inclusus experiri non potui, nec etiam tanta succini

cini hujus quantitas mihi superfuit, qualis ad operationem necessaria requirebatur. Interim illud magis magisque credere inducor, plures longe sub hac gleba Indica latere usus, quos aliquando dies forsan lucidius in apricum dabit. Ego id unum solummodo in ardentissimis votis habeo terque quaterque exoptatissima Tua Præsentia frui, eidemque coram plenius animi mei sensa exponere, qui nunc dum raptim scribo & brevitati studeo non negare possum quisquillas volantes, & venti spolia, corrigenda aliquando & dissipanda, ubi Electrologiæ propediem edendæ ultimam limam sum additurus. Nunc certe conamini huic vili ex affe à Te satisfactum mihi persuadeo, si illud ipsum non susque deque habueris, præsertim cum lineæ istæ Te suadente solum lucem vident, involvendæ alias tenebris plusquam Cimmeriis.

Hiscæ vale, VIR NOBILISSIME, atque DEO TER OPTIMO MAXIMO clementissime concedente ultra pensum felicissime vive, ut per Te in posterum quoque salutaria incrementa capiat Respublica Medica innumeris augmentis & splendore ornetur familia Tua splendidissima, & solatio denique suavissimo fruantur amici, quos inter mansurus sum vel Attica fide constantior

dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit.

Dabam Elbingæ è Musæo die  
1. Octobris A. R. O. 1721.













La 3339

4<sup>o</sup>

ULB Halle 3  
005 399 076



n. e.









1  
JOHANNIS PHILIPPI BREYNI,   
M. D. ACAD. IMPERIALIS NAT. CURIOS.   
ET REG. SOCIET. ANGLICAN. SODALIS

# EPISTOLA

*DE*  
MELONIBUS PETREFACTIS  
MONTIS CARMEL  
VULGO CREDITIS,  
*AD*  
*ILLUSTREM VIRUM*  
DOMINUM,  
D. JOHANNEM ANDERSON,  
J. U. D. INCLYTÆ HAMBURGENSEIUM  
REIPUBL. SYNDICUM PRIMARIUM, &c.  
*CUI ANNEXÆ*  
BINÆ EPISTOLÆ AD AUTHOREM  
DATÆ,  
*ALTERA*  
DE AQUIS MARTIALIBUS OLONICENSIBUS,  
*ALTERA*  
DE PSEUDO-SUCCINO,  
QUOD PAUCOS ANTE ANNOS EX AFRICA  
IN BELGIUM DEFERRI COEPIT.

---

LIPSIÆ,  
LITERIS IMMANUELIS TITII,  
M DCC XXII.

